

omnia datia comunis que vendentur tenpore offitii dicti procuratoris, et omnes locationes que fient ex bonis et possessionibus comunis singulariter quibuscunque personis, secundum quod fient dicte locationes [et] venditiones, in uno quaterno ad
 5 hoc deputato, et exemplare seu scribere debeat et teneatur omnes condempnationes vivas et non cancellatas in uno quaterno carte bergamene usque ad octo dies post exitum sui offitii manu propria ipsius notarii, sub pena vigintiquinque libr. par. pro quolibet notario et vice qualibet¹⁾ contrafacta. ¶ Et de
 10 scripturis quas fatiet tenpore sui offitii ad comodum et utilitatem comunis nullum premium vel solutionem recipere possit nec debeat ullo modo vel ingenio, sub pena viginti sold. par. pro quolibet notario et vice qualibet contrafacta, et nichilominus recepta restituere teneatur. ¶ Et ipse notarius penes se nullos
 15 quaternos tenere debeat nec possit in sua potestate et bailia.

Cap. XIII. Rubrica de forma sacramenti procuratoris generallis comunis Tergesti. Et de eius officio. R.ca.

20 Iurabit procurator generalis comunis Tergesti sequimen postestatis iudicum vel rectorum comunis Tergesti, et eius offitium bona fide et sine fraude legaliter exercere per quatuor menses sequentes. ¶ Et recipere generaliter universos redditus intratas comunis quocunque modo pervenientes, et etiam vendatica et mutua a collectoribus ipsorum, et ab eis rationem
 25 audire, etiam pena decem libr. par. pro quolibet procuratore et colectore contrafatiente; et procurare debeat super bonis omnibus et possessionibus comunis Tergesti tam intrinsecis quam // extrinsecis. ¶ Et condempnationes omnes vel cuius- 28 A
 30 cunque condicionis alia in arenga provocata ad condempnationes pertinentia statim accipere et habere, et ei debeant assignari, sub pena centum sold. pro potestate iudice vel rectore ac procuratore. ¶ Et interesse in quolibet arengo et de redditibus comunis dare camarario comunis cum voluntate

¹⁾ quolibet.